Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2297
Quelle:
Copyright:

morat *Fabricius Bibl. med. Lat.* T. XIII. edit. *Manſ.* p. 134. ubi *Manſius* Exemplum *mſ.* e Codd. *Felinianis* addit, in cujus inſcriptione habitus dicitur a *Nicolao* miſſo ad *Fridericum* Regem Rom. ad *Francfordiam ſub An. 1442. de menſe Junii* coram auditoribus præfati Regis. At vero in noſtro Codice non niſi exacta ejus adeſt Επιτομη, Aulicis fortaſſe prolixa faſtidientibus oblata, quae incipit: *Poſito caſu a principio congregationis Baſilien. Concilij* &c. et ſubſcribitur: *Finitum frankfordie 7mo Julij* 1442.

XXVI. *fol.* 397. p. 2. *Propoſita per Nic. de Cuſza 1442. 21. Junij et duobus ſequentibus in dieta frankforden.* En Viros doctiſſimos *Nicolaos Siculum* et *Germanum* inter ſe commiſſos. *Mulciber in Trojam* &c. *Propoſita* noſtra pariter non ſunt Sermo formatus, ſed Sermonis Επιτομη, unde ineunt: *Primo, quia non erant audiendi. 21. Diſt. Interius. quia ſciſma fecerunt. 23. q. v. non vos* &c. Modis omnibus contenditur, *Baſileenſes* ſchiſmaticos, *Eugenium* verum Pontificem, Synodum *Florent.* legitimam eſſe. Ad calcem: *Explicit 29. Junij frankforden. in dieta extracta* (ſcilicet e Sermone habito) 1442. An *Sermo* ipſe alicubi ſuperſtes ſit, neſcio. Habetur quidem in editis Noſtri Operibus *Epiſtola* ejus *ad Roderic. de Arevalo de Trevino Archidiac. et Oratorem Regis Caſtellae* data *Francof. 20. Maji* 1442. *de Poteſtate Rom. Eccleſiae*, ſed de Propoſitis in Dieta nihil.

XXVII. *fol.* 407. p. 2. *Sequentes Articuli 22. offeruntur per dominum Eugenium chriſtianiſſimo Karolo Regi francorum ac alme vniuerſitati pariſien. ad finem vt Rex dimittat ſuam pragmaticam ſanxionem.* Conatuum *Eugenii* ad Regem a ſua *Pragmatica* dimovendum meminit *Egaſſ. Bulaeus Hiſt. Univ. Pariſ.* T. V. p. 533. *Franc.* item *Pinſſonius* in *Hiſtoria* hujus *Pragmaticae*, *Pariſ.* 1666. p. 720. f. ait: *Papa Eugenius IV. eidem Regi quasdam componendi rationes propoſuit et in eas quosdam Articulos dimiſit*; verum *Articulos* ipſos, quos Codex noſter exhibet, apud nullum eorum, quos diligenter conſului, reperi. Incipiunt illi: *Jeſu chriſti ſaluatoris noſtri nomine inuocato ſecuntur articuli ſancte Reformationis Eccleſie Gallicane per S. D. n. qui in archano ſue mentis conſiderans* &c. Ultimus eſt: *Placet XXII. quod ſi infra annum vacatio eiusdem Eccleſie pluries contingat, vna tantum vacatio quoad ſolutionis onera cenſeatur.* Sed enim vero non niſi ſub *Leone* X. et *Franciſco I. Pragmaticae* ſucceſſere Concordata.

XXVIII. *fol.* 412. *Collacio ad Baſ. Concilium 3° Octobr. 1444.* Incipit: *Revdus in chriſto pater dominus* (Nicolaus) *Abbas ſancti Blaſij* (in Silva nigra) *hic in preſentiarum conſtitutus et ego tantillus ſibi in hac parte adiunctus venimus ad hunc ſacrum veſtrum cetum*